



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

§. 1. De summo pontifice.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

§. I.

De Summo Pontifice.

Summus Pontifex est totus Christiani Populi p^a 3
 stor, omnium Ecclesiarum caput, & Episcopus
 Episcoporum, iuxta Matth. 16. *Et ego dico tibi, quia tu
 es Petrus &c.* Et Ioannis 21. *Pasce oues meas.*

S. Petrus etiam ipsis reliquis Apostolis à Christo 4
 propositus fuit. Nam licet omnes Apostoli iurisdic-
 tionem à Christo acceperint super fideles iuxta
 Matth. 18. *Quaecunque ligaueritis super terram, e-
 runt ligata & in caelo;* tamen ut Ecclesiae Unitas sub
 vno capite & Pastore conseruaretur, vnum
 etiam reliquis Apostolis Christus praeposuit Pe-
 trum, 100.

Potestas collata S. Petro super Ecclesiam Christi, 5
 non fuit tantum perfecte vniuersalis, sed etiam ordi-
 naria, siue perpetuo in successoribus duratura iuxta
 Matth. 16. *Super hanc Petrus aedificabo Ecclesiam meam,
 & Portae inferi non praeualent aduersus eam.* Sicuti e-
 nim visibilis Ecclesia Christi perpetuo duratura est,
 ita & eius fundamentum & Pastor, quod cum in
 persona S. Petri fieri non possit, in eius successoribus
 fieri debet.

Suprema Iurisdictio non confertur Papae à Car- 6
 dinalibus per Electionem, sed à Christo prouenit vi
 promissionis factae S. Petro. Cardinales enim tan-
 tum designant personam, cui ex vi promissionis iu-
 risdictio confertur. Quomodo enim Cardinales
 conferant potestatem, qua ipsi carent, quando qui-
 dem *nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi
 competere & gnoscatur* reg. 79 in 6.

Summus Pontifex ab Ecclesia iudicari non potest 7
 nisi

nisi in causa hæresis. Cum enim potestatem suam non ab Ecclesia, sed à Christo acceperit, consequens est, ut eadem excidere non possit, nisi Christo permittente & auferente. Quod accidit 1. Si in hæresim notoriam labatur. 2. Si papa resignet Ecclesia accipiente. 3. Si exterius se gerat ut hæreticum, ideoq. Ecclesia alium eligat. 4. Tempore Schismatis; in quo Ecclesia cognoscere non possit, quis verus Pontifex sit, potest alium eligere.

8 Sedes Romana per antonomasiam Apostolica appellatur, non tantum quia in ea Principi Apostolorum Petro succeditur, sed etiam quia cum simili auctoritate Apostolica & vniuersalis gubernationis succeditur; quod nulli alteri Episcoporum concessum est: ij enim Apostolis successerunt in Episcopatu Ecclesiæ particularis, sed non in Episcopatu seu vniuersali iurisdictione erga fideles omnes.

N.B. Quod Romani Pontifices abhorreere solent à nomine Oecumenici, seu Episcopi vniuersalis, propter Constantinopolitanos Patriarchas, quibus nomen superbe sibi arrogare ausi sunt.

§. II.

De generalibus Conciliis.

9 Concilia generalia dicuntur, quæ summi Pontificis auctoritate congregata sunt, vniuersalisque Christiani Episcopis conuenientibus, (saltem potentibus venire & nomine excluso.) Ea potestatem habent vniuersales leges in Ecclesia condendi, & fidei controuersias decidendi. Decreta tamen debent mitti Romam, & à Papa confirmari. Nam Papa